

non amans bona vera; et ideo hinc ad tartarum ibit: a tenebris somniorum excipient eum tenebræ tormentorum. Ergo « Usque in æternum non videbit lumen. » Sed quare hoc? Quod posuit in medio Psalmo, hoc et in fine: « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis¹. » Vos autem, fratres, considerate vos homines factos ad imaginem et similitudinem Dei². Imago Dei intus est, non est in corpore, non est in auribus istis quas videtis, et oculis, et naribus, et palato, et manibus, et pedibus: sed est facta tamen: ubi est intellectus, ubi est mens, ubi ratio investigandæ veritatis, ubi est fides, ubi est spes vestra, ubi charitas vestra, ibi habet Deus imaginem suam: vel ibi intelligitis et videtis, quia ista transeunt, quia sic dixit in alio Psalmo: « Quanquam in imagine ambulet homo, » tamen vane conturbatur: thesaurizat, et nescit cui congregabit ea³. » Non turbemini, quia qualiacumque sunt ista, transitoria sunt, si homines estis in honore positi, et intelligitis. Nam si homines in honore positi non intelligitis, comparamini jumentis insensatis, et similes efficiimini illis.

¹ Psal. XLVIII, 21. — ² Gen. III, 26. — ³ Psal. XXXVIII, 7.

ENARRATIO

IN PSALMUM XLIX.

Sermo ad plebem.

I. QUANTUM nobis valeat sermo Dei ad correctionem vitæ nostræ¹, et ad speranda præmia ejus poenasque metuendas, unusquisque in se metiatur; et conscientiam suam ante oculos ejus sine dolo ponat, nec sibi blandiatur in tanto periculo; quoniam et ipse Dominus Deus noster videtis quia nulli blanditur: et si consolatur nos promittendo bona sua, et confirmando spem nostram; male viventibus tamen et contemnentibus verbum suum, omnino non parcit. Interroget se unusquisque, cum tempus est, et videat ubi sit, et aut perseveret in bono, aut mutetur a malo. Sicut enim dicit in hoc Psalmo, non quicumque homo, aut quicumque Angelus, sed, « Deus deorum Dominus locutus est. » Loquendo autem quid egit? « Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum². » Qui vocavit terram a solis ortu usque ad occasum, Dominus noster et Salvator est Jesus Christus, Verbum caro factum, ut inhabitaret in nobis³. Dominus ergo noster Jesus Christus Deus deorum est; quia per ipsum facta sunt omnia, et sine ipso factum est nihil. Verbum Dei, si Deus est, utique Deus deorum est: utrum autem sit Deus, Evangelium respondet: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum⁴. » Et si omnia per

¹ Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 498-499. — ² Psal. XLIX, 1. — ³ Joan. I, 14. — ⁴ Ibid. I.

ipsum facta sunt, sicut consequenter dicit; et dii si qui facti sunt, per ipsum facti sunt. Unus enim Deus non factus, et vere Deus ipse solus. Ipse autem solus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus.

II. Dii ergo quorum Deus est verus Deus, qui sunt, aut ubi sunt? Dicit alius Psalmus: « Deus stetit in synagoga » Deorum, in medio autem deos discernit¹. » Adhuc nescimus ne forte dii aliqui in cœlo congregati sint, et in eorum congregatione, hoc est enim in synagoga, stetit Deus discernere illos. Videte in eodem Psalmo quibus dicit: « Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes, vos autem » ut homines moriemini, et sicut unus ex principibus » cadetis². » Manifestum est ergo, quia homines dixit deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim justificat, qui per semetipsum non ex alio justus est; et ille deificat, qui per se ipsum non alterius participatione Deus est. Qui autem justificat, ipse deificat, quia justificando filios Dei facit. « Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri³. » Si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus: sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ generantis. Unicus enim Dei Filius Deus et cum Patre unus Deus, Dominus et Salvator noster Jesus Christus, in principio Verbum et Verbum apud Deum, Verbum Deus. Cæteri qui fiunt Dii, gratia ipsius fiunt, non de substantia ejus nascuntur ut hoc sint quod ille, sed ut per beneficium perveniant ad eum, et sint cohæredes Christi. Tanta enim charitas est in illo hærede, ut voluerit habere cohæredes. Quis hoc avarus homo velit, habere cohæredes? Sed et qui invenitur velle, dividet cum eis hæreditatem, minus habens ipse dividens quam si solus possideret: hæreditas autem in qua cohæredes Christi sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate

¹ Psal. lxxxvi, 1. — ² Ibid. 6. — ³ Joan. 1, 2.

cohæredum; sed tanta est multis quanta paucis, tanta singulis quanta omnibus. « Videte, inquit Apostolus, quantum dilectionem nobis dedit Deus, ut filii Dei vocemur » et simus¹. » Et in alio loco: « Dilectissimi, filii Dei » sumus, et nondum apparuit quid erimus. » Ergo sumus in spe, nondum in re. « Scimus autem, inquit, quoniam » cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus » eum sicuti est². » Unicus similis nascendo, nos similes videndo. Non enim ita similes ut ille, qui hoc est quod ille a quo genitus est: nos enim similes, non æquales: ille quia æqualis, ideo similis. Audivimus qui sint dii facti justificati, quia filii Dei dicuntur; et dii qui non sunt dii, quibus ille Deus deorum terribilis est. Dicit enim alius Psalmus: « Terribilis est super omnes deos. » Et quasi quæreret, Quos deos? « Quoniam omnes dii gentium, » dæmonia³. » Diis gentium, dæmoniis terribilis; diis a se factis, filiis amabilis. Proinde confitentes majestatem Dei utrosque invenio, et dæmonia confessa sunt Christum, et fideles confessi sunt Christum. « Tu es Christus Filius » Dei vivi⁴, » dixit Petrus. « Scimus qui sis, tu es Filius » Dei⁵, » dixerunt dæmones. Parem audio confessionem, sed non parem invenio dilectionem; imovero hic dilectionem, ibi timorem. Quibus ergo amabilis filii sunt; quibus terribilis, filii non sunt: quibus amabilis, deos illos fecit; quibus terribilis, non esse deos convincit. Hi enim dii fiunt, illi dii putantur: hos deos facit veritas, illos error existimat.

III. « Deus ergo deorum Dominus locutus est. » Locutus est multis modis. Per Angelos ipse locutus est, per Prophetas ipse locutus est⁶, per os proprium ipse locutus est, per Apostolos suos ipse locutus est, per fideles suos ipse loquitur, per

¹ 1 Joan. iii, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Psal. xcvi, 4, 5. — ⁴ Matth. xvi, 16. — ⁵ Marc. vi, 7. — ⁶ Hebr. i, 1.

humilitatem nostram cum aliquid verum dicimus, ipse loquitur. Videte itaque, loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa, per multa organa, ipse tamen sonat ubique, tangendo, modificando, inspirando: videte quid egerit. « Locutus est enim, et vocavit terram. » Quam terram? An forte Africam? Propter eos qui dicunt: Ecclesia Christi pars Donati est. Solam quidem Africam non vocavit, sed et Africam non separavit. Qui enim « Vocavit » terram a solis ortu usque ad occasum, » nullas relinquens partes quas non vocarit, in sua vocatione Africam invenit. Gaudeat ergo in unitate, non superbiat in divissione. Bene dicimus, quia vox Dei deorum et in Africam venit, non in Africa remansit. « Vocavit enim terram a » solis ortu usque ad occasum. » Non est ubi lateant insidiæ hæreticorum, non habent in qua se umbra falsitatis abscondant: « Nec enim est qui se abscondat a calore » ejus¹. » Qui terram vocavit, et totam terram vocavit: qui terram vocavit, tantam vocavit, quantam fabricavit. Quid mihi exurgunt pseudochristi et pseudoprophetae? Quid est quod me verbis captiosis illaqueare moliantur, dicentes: « Ecce hic est Christus, ecce illic est? » Non audio ostendentes partes: Deus deorum totum mihi ostendit: qui « Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum, » totum redemit; partes autem calumniantes condemnavit.

IV. Sed audierimus a solis ortu usque ad occasum vocatam terram: unde cœpit vocare, qui vocavit? Et hoc audite: « Ex Sion species decoris ejus³. » Certe concordat Psalmus Evangelio dicenti: « Per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. » Audi: « Per omnes gentes: » Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum. « Audi: » Incipientibus ab Jerusalem: Ex Sion species decoris

¹ Psal. xviii, 7. — ² Matth. xxiv, 23. — ³ Psal. xlix, 2.

» ejus. » Ergo, « Vocavit terram a solis ortu usque ad » occasum, » concordat verbis Domini, dicentis: « Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, » et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem » peccatorum per omnes gentes¹. » Omnes enim gentes sunt a solis ortu usque ad occasum. Quod vero « Ex Sion » species ejus, » quod inde cœpit decus Evangelii ejus, quod inde annuntiari cœpit speciosus forma præ filiis hominum², concordat verbis Domini dicentis: « Incipientibus » tibus ab Jerusalem. » Concinunt nova veteribus, vetera novis: dicunt ad invicem Seraphim duo: « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth³. » Et consonant duo Testamenta, et unam vocem habent duo Testamenta: audiatur vox concinentium Testamentorum, non calumniantium exhæredatorum. Fecit ergo ista Deus deorum: « Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum: » Ex Sion procedente specie sua. Ibi enim erant Discipuli, qui acceperunt Spiritum sanctum quinquagesimo post resurrectionem ejus die missum de cœlo⁴. Inde Evangelium, inde prædicatio, inde impletus orbis terrarum, et hoc in gratia fidei.

V. Nam cum ipse Dominus venisset, quia passurus venit, occultus venit: et cum esset fortis in se, infirmus in carne apparuit. Oportebat enim eum videri, ut non intelligeretur; contemni, ut occideretur. Erat gloriæ species in divinitate; sed hæc latebat in carne. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent⁵. Sic ergo inter Judæos, inter inimicos ambulavit occultus, mirafaciens, mala patiens, donec suspenderetur in ligno, videntesque pendentem Judæi magis magisque contemnerent, et ante crucem caput agitantes, dicerent: « Si Filius Dei est,

¹ Luc. xxiv, 46, 47. — ² Psal. xlii, 3. — ³ Isai. vi, 3. — ⁴ Act. ii, 4. — ⁵ I Cor. ii, 8.

» descendat de cruce¹. » Occultus ergo erat Deus deorum, et voces edebat magis ex compassione nostra, quam ex majestate sua. Unde enim illæ voces, nisi ex nobis assumptæ: « Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti? » Quando autem Pater Filium dereliquit, aut Filius Patrem? Nonne unus Deus, Filius et Pater? Nonne verissimum: « Ego et Pater unum sumus². » Unde ergo, « Deus, Deus » meus, utquid me dereliquisti: » nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccatoris? Qui enim suscepit similitudinem carnis peccati³, cur non susciperet similitudinem vocis peccati? Occultus ergo Deus deorum, et cum inter homines ambulavit, et cum esurivit et sitivit, et cum fatigatus sedit, et cum lassato corpore dormivit, et cum apprehensus, et cum flagellatus, et cum ante judicem positus, et cum superbienti respondit: « Non haberes in me potestatem, nisi data fuisset desuper⁴; » et quod ductus ad victimam, coram tondente se non aperuit os suum⁵, et quod crucifixus, et quod sepultus, semper occultus Deus deorum. Quid posteaquam resurrexit? Mirati Discipuli, et primo non crediderunt, donec tangerent atque palparent⁶. Sed caro resurrexerat, quia caro mortua erat: divinitas quæ mori non poterat, adhuc etiam in carne resurgentis latebat. Videri forma potuit, teneri membra, palpari cicatrices: Verbum per quod facta sunt omnia, quis videt? quis tenet? quis palpat? Et tamen « Verbum » caro factum est, et habitavit in nobis⁷. » Et qui tenebat hominem Thomas, intelligebat ut poterat Deum. Palpatis enim cicatricibus, exclamavit: « Dominus meus et Deus » meus⁸. » Ostendebat tamen Dominus eam formam, eamque carnem, quam in cruce viderant, quæ in sepul-

¹ Matth. xxvii, 39. — ² Psal. xxi, 2, et Matth. xviii, 46. — ³ Joan. x, 30. — ⁴ Rom. viii, 3. — ⁵ Joan. xix, 11. — ⁶ Isai lxi, 7. — ⁷ Luc. xxiv, 37. — ⁸ Joan. i, 14. — ⁹ Id. xx, 28.

tura posita fuerat. Fecit cum eis quadraginta dies. Impiis Judæis non se demonstravit: illis demonstravit se, qui in eum crediderant antequam crucifigeretur; ut quos crucifixus dimiserat titubantes, resurgens faceret fortes. Deinde quadragesimo die commendans Ecclesiam suam, id est, vocatam terram a solis ortu usque ad occasum, ne haberent excusationem qui volunt in schismate deperire; ascendit in coelum, dicens eis: « Erit mihi testes in Jerusalem, unde species decoris ejus, et in totam Judæam et Samariam, et usque in totam terram. His enim dictis, nubes suscepit eum. Intuebantur illi quem noverant: noverant tamen in humilitate, nondum in claritate. Et cum ab eis iret in coelum, admoniti sunt voce angelica, dicente: « Quid statis viri Galilæi? Hic Jesus quem videtis » ire, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in » coelum¹. » Ascendit ergo: regressi illi lætantes, manserunt in civitate, secundum ejus præceptum, donec implerentur Spiritu sancto. Quid autem dictum erat Thomæ palpanti? « Quia vidisti, credidisti; beati qui non vident, » et credunt². » Prædicti sumus. Terra illa vocata a solis ortu usque ad occasum non videt, et credit. Occultus ergo Deus deorum, et eis inter quos ambulavit, et eis a quibus crucifixus est, et eis ad quorum oculos resurrexit, et nobis qui credimus in coelo sedentem, quem non vidimus in terra ambulantem. Sed et si videremus, nonne hoc videremus quod Judæi viderunt et crucifixerunt? Plus est quod non videntes Christum credimus Deum, quam quod illi videntes non nisi hominem putaverunt. Illi denique male putando mortificaverunt, nos bene credendo vivificamur.

VI. Quid ergo, fratres? Ille Deus deorum, et tunc occultus, et modo occultus, numquid semper occultus? Non plane: audi sequentia: « Deus manifestus veniet³. » Qui

¹ Act. i, 3-12. — ² Joan. xx, 29. — ³ Psal. xlix, 3.

venit occultus : veniet manifestus. Venit occultus iudicandus, veniet manifestus iudicaturus : venit occultus ut ante iudicem staret, veniet manifestus ut etiam de iudicibus iudicet : « Veniet manifestus, et non silebit. » Quid enim ? modo silet ? et unde sunt quæ dicimus ? unde ista præcepta ? unde ista monita ? unde ista tuba terroris ? Non silet, et silet : non silet a monendo, silet a vindicando : non silet a præcepto, silet a iudicio. Patitur enim peccatores quotidie mala facientes, Deum non curantes, non in conscientia sua, non in cælo, non in terra : non eum latent hæc omnia, et universaliter omnes admonet, et quando aliquos flagellat in terra, admonitio est, nondum damnatio. Silet ergo a iudicio, occultus in cælo est, adhuc interpellat pro nobis : patiens est super peccatores, non exercens iram, sed expectans pœnitentiam. Dicit alio loco : « Tacui, numquid semper tacebo¹ ? » Quando ergo non tacebit : « Deus manifestus veniet. » Quis Deus ? « Deus » noster. » Et ipse Deus, qui Deus noster : non enim Deus est, qui non est noster Deus. Dii enim gentium dæmonia : Deus Christianorum, verus Deus. Ipse veniet, sed manifestus, non adhuc illudendus, non adhuc exalapandus et flagellandus : veniet, sed manifestus, non adhuc calamo in capite percutiendus, non adhuc crucifigendus, occidendus, sepliendus : quia hæc omnia occultus Deus pati voluit. Veniet manifestus, et non silebit.

VII. Quia vero ad iudicium veniet, sequentia docent. « Ignis ante eum præibit². » Timemus ? Mutemur, et non timebimus. Ignem palea timeat : auro quid facit ? Est autem nunc in potestate quid facias, ne illud quod et te nolente venturum est, non correctus experiaris. Si enim possemus facere, fratres, ut dies iudicii non veniret ; puto quia nec sic erat male vivendum. Si non veniret ignis die

¹ Isai. xlii, 14. — ² Psal. xcvi, 3.

iudicii, et sola peccatoribus immineret separatio a facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes a quo creati sunt, et separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet æternitate et impunitate peccati, plangere se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar ? Hæc amantibus pœna est, non contemnendis. Qui dulcedinem sapientiæ et veritatis utcumque sentire cœperunt, noverunt quod dico, quanta pœna sit tantummodo a facie Dei separari : qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem ; supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentis ; non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras : amplexaris peccata tua et delicias carnis tuæ, stipulam ad te congeris, veniet ignis. « Ignis in conspectu ejus ardebit. » Non erit iste ignis sicut focus tuus ; quo tamen si manum mittere cogaris, facies quidquid voluerit qui hoc minatur. Si tibi dicat : Scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum, nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum : faciet ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, et facis malum : minatur Deus æternum malum, et non facis bonum ? Ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent : a bono faciendo nec minæ te deterrere deberent. Minis autem Dei, minis æterni ignis prohiberis a malo, invitaris ad bonum. Unde piget, nisi quia non credis ? Excitiat ergo unusquisque cor suum, et videat quid ibi fides teneat. Si credimus futurum iudicium, fratres, bene vivamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus iudicii tunc erit. Nemo dicet : Revoca me ad priores annos. Pœnitebit et tunc, sed frustra pœnitebit : modo pœniteat, cum fructus est

